ceptatus est, non solum esset schismaticus, sed etiam hæreticus, non enim solum scinderet unitatem Ecclesiæ sicut illi, qui a principio eligunt duos pontifices, de quibus nescitur quis sit verus pontifex, sed etiam addit perversum dogma, quia negat habendum pro pontifice, et pro regula fidei illum quem Ecclesia acceptavit. Unde in his habet locum id quod docet Hieronymus super caput III ad Titum, et ex illo S. Thomæ 2-2, quæst. XXXIX, art. I ad tertium, quod nullum schisma est quod non sibi aliquam hæresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. Itaque licet schisma distinguatur ab hæresi, tamen plerumque cum hæresi conjungitur et parat viam ad illam, et in præsenti qui propositionem illam negaret non esset pure schismaticus, sed etiam hæreticus, quod etiam censet Suarez ubi supra solutione ad quartum.

XLV. Ad primam confirmationem respondetur, quod de pontificibus antiquis, vel nobis constat fuisse acceptatos ab Ecclesia, quia id vidimus, aut aliqua eorum definitio remansit, in qua declarando aliquid de fide simul declaratum reliquerunt se fuisse regulam fidei; vel nobis non constat de tali acceptatione Ecclesiæ, aut definitione ab ipsis facta. Si nobis constat, eodem modo erit de fide quod illi in particulari fuerint pontifices, sicut modo est de fide quod iste in particulari sit pontifex. Si vero id non constat per accidens non erit de fide quoad nos, sed tantum per historiam humanam id tenebimus, licet enim tunc veram Ecclesiam fuisse constat, tamen per accidens quia non constat de acceptatione facta ab Ecclesia circa illum pontificem in particulari, non credimus de fide illum fuisse papam in particulari; de se tamen est materia de fide quotiescumque ipsa acceptatio Ecclesiæ nobis innotescat, vel aliqua definitio ipsius papæ, quæ tamquam effectus infallibilis ipsius demonstret ipsum, qui definivit, vere fuisse papam, sicut credimus hoc vel illud Concilium transactum fuisse legitimum, quia ejus definitiones acceptamus, et ipsius confirmationem videmus.

XLVI. Ad secundam confirmationem respondetur, non debere admitti, quod pontifex hoc ipso quod est hæreticus, ante declarationem Ecclesiæ desinat esse papa, licet aliqui id videantur tenere, de quo articulo sequenti. Quod ergo versatur in opinione est, an facta declaratione Ecclesiæ, quod papa sit hæreticus deponatur ipso facto a Christo Domino, vel ab Ecclesia debeat fieri depositio. Cæterum antequam Ecclesia id juridice declaret, semper pro papa est habendus, ut sequenti articulo amplius patebit.

ARTICULUS III.

Utrum papa deponi possit ab Ecclesia, sicut ab eadem eligitur; et in quibus casibus?

I. Suppono pontificem triplici modo posse pontificatum amittere. Primo, per mortem naturalem: secundo, per voluntariam cessionem: tertio, per depositionem. De primo nulla est difficultas: de secundo extat textus expressus in capite primo de renuntiatione in sexto, ubi determinatur pontificem posse renuntiare pontificatui, sicut fecit Cœlestinus quintus; et a pontificibus dubiis id postulatum est in Concilio Constantiensi ad tollendum schisma, quod et fecerunt Gregorius XII, et Joannes XXIII. Nec videtur esse necessarium ad hoc Ecclesiæ consensum, ut di-

cit Bellarminus lib. II de Romano pontifice, cap. XXIX, in fine, sed etiam ipso non expectato posse pontificem cedere, ut sentit Suarez disp. X, sect. VI; Azorius tomo II, lib. IV, cap. VI, quia pontifex non respicit Ecclesiam tamquam superiorem cujus obedientia adstrictus sit ne renuntiet, sicut alii episcopi, qui tamen ad renuntiandum non suæ Ecclesiæ, sed pontificis qui superior est, consensum petunt. Pontifex autem cum nullum superiorem habeat, a nullo exigere debet de necessitate consensum, licet ut id matura deliberatione fiat, cum sit res gravissima, non est dubium quod cum magna consultatione fieri debet, et ob causas urgentissimas : an vero aliquando teneatur papa in conscientia cessionem istam facere, infra discutietur. De tertio modo amittendi pontificatum multæ se offerunt difficultates tractandæ, quas ut breviter transcurramus, ad duo præcipua capita difficultates omnes reducimus, scilicet in quibus casibus depositio habeat locum; et secundo a qua potestate debeat fieri hæc depositio. Et quoad primum tres præcipui casus numerantur, in quibus depositio papæ locum habet. Primus est, in casu hæresis, seu infidelitatis : secundus, in casu perpetuæ amentiæ : tertius, in casu dubii de valore electionis.

II. Circa casum hæresis multa disputant theologi, et jurisperiti, quæ ad longum prosequi locus non est; est autem concors doctorum sententia propter hæresim posse papam deponi, quos in discursu difficultatis referemus. Expressus textus in capite Si papa XL distinctione, ubi dicitur: « Culpas pontificis redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, a nemine judicandus, nisi deprehendatur a fide devius. « Quæ exceptio manifeste significat in casu hæresis de papa ferendum esse judicium. Idem confirmat epistola Adriani II, relata in octava Synodo generali, actione VII, ubi Romanum pontificem a nemine judicatum dicit; Honorio vero anathema dictum fuisse ab orientalibus, quia fuerat in causa hæresis accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere. Similiter etiam S. Clemens papa in epistola prima inquit, D. Petrum docuisse hæreticum papam esse deponendum. Ratio est, quia ab hæreticis tenemur nos segregare I ad Timoth. III: *Hæreticum hominem post primam, et secundam correptionem devita.* At vero qui manet in pontificatu non est vitandus, sed potius illi uniri, et communicare tenetur Ecclesia tamquam supremo capiti suo; ergo si papa est hæreticus, vel tenetur Ecclesia illi communicare, vel debet a pontificatu deponi. Primum autem est in evidentem Ecclesiæ destructionem, et importans intrinsece periculum errandi in toto regimine ecclesiastico, si Ecclesia teneatur sequi caput hæreticum : imo cum hæreticus sit Ecclesiæ hostis, hoc jure naturali potest Ecclesia agere contra papam, scilicet jure defensionis, quia defendere se potest ab inimico suo, qualis est papa hæreticus; ergo et agere contra illum; ergo secundum omnino debet fieri scilicet, quod talis papa deponatur.

III. Dices : Christus Dominus toleravit in cathedra Moysis, et homines infideles, et hæreticos, quales erant Pharisæi, Matth. XXIII : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Pharisæos autem hæreticos fuisse, et perversa dogmata tenuisse secundum varia superstitiones, et traditiones auctor est Hieronymus in caput octavum Isaiæ : et eorum errores anno

tat enim Epiphanius in Panario, libro I, cap. XVI; Josephus de bello Judaico lib. II, cap. VII ad finem; Baronius in apparatu annalium, cap. VII: ergo etiam super cathedram Petri tolerandus est hæreticus, et infidelis, nec enim ipse hæresim, aut errorem definire potest, et sic semper Ecclesia libera manebit ab hæresi. Respondetur Christum Dominum non præcepisse quod Pharisæi, etsi declarentur ut hæretici tolerarentur in cathedra Moysi, vel cuicumque alius hæreticus, aut infidelis in sacerdotio, et pontificatu, sed sub conditione quod illi tolerentur. Et si nondum sint declarati, et depositi a cathedra, debent fideles eos audire, et obedire, quia adhuc retinent potestatem, et jurisdictionem suam, si tamen Ecclesia velit illos declarare ut hæreticos, et non amplius tolerare, Christus Dominus non prohibet in præfatis verbis.

IV. Sed dubitatur, an in quocumque casu hæresis, et quomodocumque papa hæreticus sit, possit deponi; an vero aliquæ conditiones requirantur sine quibus hæresis sola non sit sufficiens ad deponendum pontificem. Respondetur pontificem non posse deponi, nec amittere pontificatum, nisi duæ conditiones concurrant, scilicet quod hæresis non sit occulta, sed publica, et juridice notoria; secundo debere esse incorrigibilem, et pertinacem in hæresi. His duabus conditionibus stantibus potest pontifex deponi, non vero sine illis, et quantumcumque interius infidelis non sit, si tamen exterius tamquam hæreticum se gerat, potest deponi, et sententia depositionis erit valida. Et de prima conditione aliqui etiam inter catholicos dissentiunt existimantes quod etiam propter hæresim occultam pontifex amittit jurisdictionem pontificalem, quæ fundatur in vera fide, et recta confessione ejus, et pro hac sententia citantur Turrecremata lib. IV, II p. a capite XVIII, et lib. II, cap. CII; Paludanus in opusculo de hac re; Castro lib. II de justa hæreticorum punitione, cap. XXII et XXIII; Simancas de catholicis institutionibus, cap. XXI; Driedo de libertate christiana, cap. XIV et alii. Et quidam ita hoc defendunt quod etiam propter hæresim mentalem ipsum putant excidere a pontificatu eo quod ut sit pontifex requirit tamquam necessariam conditionem, quod sit membrum Ecclesiæ, si quidem est supremum caput, et quod conjunctus sit ipsi petræ, super quam fundatur Ecclesia, id est super fidem, et confessionem Petri, sicut enim sine fide etiam mentali, non est Ecclesia, ita neque pontificatus, qui super eamdem confessionem fundatur super quam Ecclesia, et ideo Christus petiit a Petro hanc professionem fidei priusquam ei promitteret pontificatum. Et hanc sententiam tribuit Turrecrematæ, et Castro ubi supra Azorius citatus supra, capite septimo.

V. Alii existimant necessarium esse quod hæresis sit externa, et externe probata, ut possit a pontificatu deponi; sic Soto in IV, dist. XXII, quæst. II, art. II; Cano lib. IV de locis, capite ultimo ad duodecim, ubi ne quidem probabile censet oppositum Cajetanus de auctoritate papæ, cap. XVIII et XIX; Suarez, Azorius et Bellarminus lib. II de Romano pontifice, cap. XXX. Et fundamentum est, quia hæretici occulti quamdiu ab Ecclesia non condemnantur, et præscinduntur, sunt partes Ecclesiæ, et cum ipsa communicant in exteriori communicatione, licet non in spiritu interno; ergo etiam pontifex si est occulte hæreticus, non propterea est præcise ab Ecclesia: ergo potest adhuc in ipsa esse caput, sicut adhuc est pars, et membrum, etsi non vivum.

VI. Confirmatur, quia sine fide

exerceri possunt actus ordinis, et jurisdictionis ecclesiasticæ in inferioribus sacerdotibus, nam sacerdos hæreticus potest conficere sacramenta, et absolvere in extrema necessitate; ergo non requiretur etiam fides ut pontifex exerceat jurisdictionem suam quamdiu ab Ecclesia non est depositus, præsertim quia per hoc quod sit hæreticus, non incurrit excommunicationem sicut inferiores, cum non sit capax illius. Ac denique, quia si sit occultus hæreticus, eo ipso caderet a pontificatu, etiam antequam Ecclesia id cognosceret et judicaret; ergo si statim resipisceret per veram pœnitentiam jam non posset exercere munus, et officium pontificis, quia amisit eam dignitatem, nec illa per pœnitentiam a Deo restituitur, sicut restituitur gratia. Quod si non potest exercere; ergo tenebitur cedere pontificatui, quod certe est gravissimum; est enim hoc obligare ut se prodat, quia oportet causam suæ renuntiationis publicare, aut saltem consulere, et plura alia inconvenientia sequerentur, si eo ipso quod esset pontifex hæreticus, et occultus pontificatum amitteret, omnia enim essent perplexa, et via ad schismata aperiretur, si non spectato Ecclesiæ judicio, hoc ipso a pontificatu decideret propter culpam ipsi soli forsitan notam.

VII. Et ex hoc etiam solvitur fundamentum contrarium, quia ut aliquis sit pontifex requiritur, quod sit membrum Ecclesiæ secundum exteriorem communicationem, saltem secundum quam sufficienter dicitur aliquis membrum Ecclesiæ in ordine ad exteriorem gubernationem, secundum quam pontifex est caput Ecclesiæ, etsi non participet interiorem ejus spiritum ratione occultæ hæresis, vel peccati, et hoc modo sufficit quod sit conjunctus petræ, et Ecclesiæ, scilicet secundum exteriorem communicationem, quia reputatus ab Ecclesia, ut conjunctus, quamdiu ab illa non est præcisus, aut declaratus ut hæreticus. Quod vero additur, Ecclesiam non posse manere veram Ecclesiam sine fide interiori, respondetur eodem modo probari posse non remanere posse pontificem in pontificatu sine gratia, et hoc ipso quod incidit in peccatum mortale, quæ fuit hæresis Wiclephi condemnata inter ejus articulos in Concilio Constantiensi, quia sicut Ecclesia universaliter loquendo, non potest carere vera fide etiam mentali, sic etiam non potest carere gratia. Itaque auctoritas pontificatus fundatur super fidem veram, sed non super fidem personalem cujuscumque personæ, et prout a quolibet secundum sensum suum proferri potest; sed in fide communi totius Ecclesiæ, in qua pontifex non potest deficere, taliter quod etiamsi personaliter sit hæreticus, ut tamen docet ex cathedra non potest contra fidem docere; in hac ergo fide, quæ est fides cathedræ, et non personæ, et quæ fuit fides Petri, et confessionis ejus, in hac fundatur pontificatus, non in fide personali etiam ipsius personæ pontificis. Ecclesia vero cum importet congregationem omnium fidelium, repugnat quod omnes sint sine vera fide Dei etiam mentali, sicut etiam non possunt omnes fideles esse sine gratia.

VIII. Secunda conditio ut possit papam deponere scilicet quod sit incorrigibilis, et contumax in hæresi patet, quia qui est paratus corrigi, nec pertinax in hæresi, non censetur hæreticus, ut habetur in capite Dixit Apostolus XXIV, q. III; ergo si papa sit paratus corrigi, nequaquam tamquam hæreticus deponi debet. Item quia Apostolus solum præcipit vitari hæreticum post primam, et secundam correptionem; ergo si correptus resipiscat, non est

vitandus, cum ergo papa deponi debeat propter hæresim in vi istius apostolici præcepti, ex eodem sequitur quod si sit corrigibilis non debet deponi. Et quidem cum ante depositionem pontifex moveri debeat ut resipiscat plane si admonitus se correxerit, non videtur posse procedi ad ulteriora deponendo ipsum. Factum etiam Marcellini papæ, ut habetur in capite Nunc autem, XXI distinctione quod etiam supra disputatione præcedenti tractavimus, aliquid juvat, declaratus enim pro infideli a Concilio episcoporum, tamen quia resipuit, et corrigi voluit in pontificatu mansit, et tamquam pontifex mortuus est postea pro fide; ergo nisi pertinaciter, et incorrigibiliter in hæresi permaneat, non debet a pontificatu deponi. Vide glossam cum Hugone in capite Si papa, citata distinctione XL, ubi hoc idem tenet, et declarat, quod si papa incidens in hæresim, et correptus, iterum relabatur, potest iterum corrigi; post duas autem correptiones, si postea relabatur, etsi paratus sit corrigi, non est admittendus, sed tamquam incorrigibilis habendus est, et deponendus, quod bene fundat Cajetanus opusculo de auctoritate papæ, capite XXII, in dicto Apostoli: *Post primam, et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est hujusmodi*, facta ergo prima, et secunda correptione juxta humanum judicium relapsus, censetur incorrigibilis, et ideo ne infinitum correptiones perducantur, sistitur in secunda habendo ipsum pro incorrigibili post secundam correptionem.

IX. Secundus casus depositionis papæ, est casus perpetuæ amentiæ, quem Cajetanus ponit ubi supra capite. XXVIII, et censet quod si constat de perpetua amentia papa non indiget depositione, neque judicio Concilii generalis, sed censetur hoc ipso vacare sedes perinde ac si esset mortuus, quia talis vita rationali functus est, propter quod Ecclesiast. XXII dicitur: *Supra mortuum plora, deficit enim lux ejus, et supra fatuum plora, defecit enim sensus*. Et consequenter possunt cardinales ad electionem procedere; sicut si sedes vacaret per renunciationem. Et subscribit Suarez disputatione decima citata, sectione VI, num. XVII, eo quod perpetua amentia æquivalet morti quoad usum rationis, et libertatis, unde reddit subjectum incapax omnis jurisdictionis, et omnis actionis gubernativæ, quæ sine libertate exerceri non potest. Quæ autem, et quomodo censenda sit perpetua amentia ad theologos non spectat judicare, sed judicio peritorum, et prudentium standum est. Existimo tamen quod quamdiu aliqua amentia censetur humana arte curabilis, non est habenda pro perpetua, et ideo non est papa deponendus propter illam: si tamen non esset humano modo curabilis, sed solum miraculose, censenda esset perpetua ex natura sua, et jure posset alius pontifex eligi. Sicut in matrimonio illa impotentia, aut arctitudo membri censetur matrimonium dissolvere, quæ humana arte curare non potest, sed solum miraculose.

X. Tertius casus depositionis papæ est dubietas de valore electionis pontificis, ad quem casum reducimus omnes illos, in quibus Ecclesia certificari non potest indubitate de suo capite, cum enim ipsi commissa sit electio ejus, habet jus ut certa reddatur de electo in papam, et caput universale. Unde stante dubio potest ipsa tamquam in pontificem non receptum, nec indubitatum agere. Et ratio est, quia quamdiu pacifice, et indubitate non constat de electione, adhuc ipsa electionis actio durare censetur, quia nondum perfecte terminata est, et consumma-

ta, ita ut Ecclesiæ constet de ipsa; ergo potest tunc agere, et judicium ferre circa ipsum electum, quatenus electio ejus adhuc est in dubio, quia Ecclesia habet plenum jus super ipsam electionem, unde quamdiu aliquid restat de electione proper dubietatem ejus, adhuc subest potestati Ecclesiæ id perficere et consummare, et consequenter judicare potest de pontifice dubio. Item, quia non potest Ecclesia obedire papæ, nisi ipsi constet de vero papa, stante autem dubio non constat ipsi de vero papa, et sic non potest ei obedire.

XI. Confirmatur exemplo Concilii Constantiensis, in quo judicatum est de tribus pontificibus dubiis, et duo fuerunt depositi, alter vero renuntiavit pontificatui, et in eodem Concilio determinatum est pontifices debere obedire, et stare decretis Concilii illius legitime congregati, quod intelligendum est circa subjectam materiam, quæ tunc tractabatur in illo Concilio, scilicet existentibus pontificibus dubiis, hi enim tenentur obedire Concilio, et sunt illi subjecti, quia Ecclesia judicare potest de dubio pontifice, et tollere schisma, quod inde resultat, quale tunc etiam erat. Ad hunc etiam casum reducitur alius quem ponit Cajetanus scilicet si postquam electus est legitimus pontifex, omnes cardinales qui illum elegerunt, morerentur, aut ita impedientur, quod non esset qui testificaretur Ecclesiæ de pontifice electo, tunc enim quasi per accidens Ecclesia posset iterum eligere, quia non est certa de pontifice electo, nec certificari potest, unde censetur esse dubius pontifex. Et similis casus esset, si cardinales post electionem vellent rem vertere in dubium, et generaretur schisma, tunc enim Ecclesia posset de illo negotio cognoscere, quia adhuc ipsa non certificatur de vero, et indubitato papa, et sic ad tollendum schisma, potest illud dubium de electione judicare, quem casum ponit Suarez ubi supra. Et denique in omni eventu, quo datur rationabile dubium de veritate papæ, aut electionis ejus, ad Ecclesiam pertinet id judicare, non quia est superior pontifice, etiam si in re verus pontifex sit, sed quia est superior electione pontificis, et omnibus dubiis, quæ ex illa resultare possunt, per accidens autem est superior eo, qui in re est verus pontifex.

XII. Dices: Quid si Ecclesia judicet non esse verum pontificem eum qui vere, et in re coram Deo est pontifex, sed dubitatur de illo, tunc ille jam accepit a Christo Domino potestatem supremam Ecclesiæ; hanc enim habet ex vi electionis rite factæ in re; ergo quamvis Ecclesia illum deponat, non poterit ab illo auferre potestatem a Christo Domino datam; hæc enim sine ipsius electi culpa perdi non potest, et sic si Ecclesia procedat ad aliam electionem, erunt tunc duo in Ecclesia habentes in re, et coram Deo supremam potestatem Ecclesiæ, quæ est impossibile, cum ex Christi Domini institutione tantum unus debeat esse supremus pastor: ergo non potest ex ipsius actione duobus conferri illa suprema potestas in re.

XIII. Respondetur sine dubio Ecclesiam posse judicare, et deponere pontificem, qui in re est innocens, probatur tamen nocens, sicut si in re non esset hæreticus, exterius tamen probaretur juridice esse hæreticum, posset haberi pro non pontifice, quia sicut existente vera culpa amittere potest pontificatum, non quando illam commisit, et nondum ab Ecclesia judicata est, sed quando ab Ecclesia declaratur, ita licet in re non habuerit illam culpam, si tamen ex declaratione Ecclesiæ illam

habet, quia sic juridice probatur, amittit etiam pontificatum, quia sic expedit gubernationi Ecclesiæ, quæ humano modo fit, et secundum humanas probationes, quæ solum requirunt veritatem juridicam, non mathematicam, et quia pontificatus non consistit in charactere, qui nulla actione est delebilis, sed in jurisdictione, quæ ex moralibus conditionibus pendere potest, ideo ex culpa moraliter, et juridice notoria, tamquam ex conditione pendere potest potestas ista pontificia, licet in re innocens sit. Addo tamen verisimilibus videri illum casum impossibilem esse, quod scilicet Ecclesia judicet aliquem non esse pontificem, qui vere in re sit pontifex, hoc enim esset falli Ecclesiam universalem in ferendo judicio circa rem gravissimam, quæ et totum Ecclesiæ corpus tangit, ita quod sicut Ecclesia falli non potest in judicando canonizationem alicujus sancti, ita in condemnando aliquem tamquam hæreticum, et deponendo illum a pontificatu, non videtur errare posse Ecclesiam, nec permitti a Deo, ut judicet non esse pontificem illum, qui vere in re pontifex est.

XIV. Sed inquires, an aliquis alius casus præter relatos admittendus sit pro quo pontifex deponi possit. Respondetur negative; sed omnes quotquot fingi possunt ad hos reducuntur, et propter nullum alium deponi potest. Quæ est communis sententia theologorum, et multorum etiam juristarum. De theologis videndus est Turrecremata in summa, libro secundo, capite nonagesimo tertio et sequentibus; Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libro primo, capite quarto; Paludanus, et alii, quos citat Cajetanus tractatu de potestate papæ, capite xxvi; Suarez, et Azorius, et Bellarminus. Ex canonistis Felinus in capite Nonnulli de rescriptis, versu Sed non videtur; Andreas Siculus clementina Ne Romani de electione; Imola ibidem cardinalis Alexandrinus in capite Si papa, et alii. Ratio est in primis, quia in jure propter nullum crimen papa deponi potest, excepta hæresi sicut colligitur ex capite Si papa, distinctione xl jam citata, ubi culpas papæ nullum mortalium redarguere posse affirmatur, nisi deprehendatur a fide devius; ergo præter casum fidei propter nullas culpas est redarguendus pontifex, et eadem exceptio habetur capite Oves, xx, quæstione vii. Secundo, et fortius instatur ista ratio quia secundum jus, papa a nemine judicatur, ut habetur in pluribus juribus, in quibus dicitur, eos eorumque causas soli Deo reservari judicandas, ut in capite Aliorum, capite Cuncta ix, quæstione iii, et in capite Ejectionem, lxxi distinctione, et denique in extravaganti Unam sanctam de majoritate, et obedientia, et capite Licet de electione, si deviet suprema potestas a solo Deo judicatur; ergo depositio papæ directe non potest fieri per viam judicii, et punitionis, cum non habeat superiorem in terris, a quo puniatur, aut corrigatur. Solum ergo potest deponi propter indispositionem ex parte ipsius, ut sit caput Ecclesiæ, quia scilicet est separatus, et segregatus ab ipsa relinquendo fidem, ita quod Ecclesia debeat illum vitare: propter reliqua vero peccata quantumcumque gravia nunquam tenetur Ecclesia eum vitare, quia ipse non est segregatus ab Ecclesia, nec per excommunicationem separari potest, ergo neque debet a pontificatu excludi: nam si excluderetur non id fieret quia Ecclesia non potest illi adhærere, et manere conjuncta, sed quia propter demerita pontificis ipsum tamquam indignum repellit a pontificatu. Hoc autem secundum non potest fieri nisi ab habente auctoritatem, et jurisdictio-

nem supra ipsum reum, qui punitur propter demerita; ergo cum hæc potestas in nullo reperiatur, neque etiam in Ecclesia, quia papa non potest habere superiorem in terra, consequenter neque propter ista crimina judicandus est. Et neque propter hæresim directe judicatur papa, sed quia ex Scriptura, et jure divino Ecclesiæ tenetur segregare se, et non communicare hæretico, ideo facta declaratione quod sit hæreticus Ecclesia non potest ipsum respicere ut caput, quia non potest ei communicare, caput autem cui corpus non est unitum, et cui non communicat, non est caput.

XV. Ex hac autem doctrina solvere potest motiva canonistarum tenentium oppositum cum glossa in dicto capite Si Papa, eamque glossam approbavit Panormitanus capite Significasti de electione, numero quarto, et aliis in locis, et Ancharanus in tractatu de schismate, Rosellus in sua monarchia, tractatu secundo de forma eligendi papam, aliique canonistæ. Qui propter crimen simoniæ, et alia crimina, quæ vergerent in grave damnum, et scandalum Ecclesiæ, sentiunt papam deponi posse, eo quod magnum etiam incommodum afferri potest Ecclesiæ per alia crimina sicut per hæresim, dissipando ejus regimen, et violenter, ac tyrannice tractando: est autem de jure naturali quod Ecclesia possit se defendere, et eum vi repellere, quod facere non potest nisi ipsum deponendo, sicut in crimine hæresis ob eamdem rationem potest ipsum deponere. Quod etiam videtur aliquando fuisse in usu Ecclesiæ, nam Sixtus III se purgavit de quibusdam criminibus sui objectis, ut habetur in capite Mondastis, et de Leone III, in capite Auditum est secundo, quætione v, et de Leone IV, in capite Nosti incompetenter a quæstione septima. Et Eugenius IV depositus est in Concilio Basiliensi sine causa hæresis et similiter narratur de Joanne XII, et saltem si pontifex esset hæreticorum fautor, licet non esset hæreticus sine dubio deponi deberet, et idem judicium erit si papa juraverit se renuntiaturum pontificatui, tunc enim poterit cogi ab Ecclesia, ut adimpleat.

XVI. Nihilominus ex fundamento posito hæc omnia diluuntur: nam et si verum sit quod papa criminosus magnum præjudicium inferat Ecclesiæ, tamen Ecclesia non tenetur, nec potest se ab ejus communicatione separare, nec ipsum judicialiter punire, et ideo tamquam caput debet ipsum sustinere, in casu vero hæresis tenetur se ab eo separare, ut dictum est, et propter eam debet ipsum pro capite non habere. Potest autem se defendere, non quidem ipsum deponendo, sed eum vi repellendo si violenter, et tyrannice procedat, sicut si armis vellet contra justitiam aliquid moliri, posset armis repelli; et similiter si contra bonos mores aliquid statueret non est illi parendum, quia lex injusta non obligat. Quod vero aliqui pontifices se purgaverint a criminibus, id non fuit ex necessitate, sed ex propria voluntate, ut in illis textibus aperte significatur. Reliqui vero ut Eugenius IV, et Joannes XII, et si quis alius, depositi fuerunt violenter, et contra jus, ex quo non potest trahi argumentum. De fautore vero hæreticorum Azorius ubi supra capite septimo, tenet quod si sit papa fautor, aut defensor hæreticorum, et in hoc sit incorrigibilis poterit deponi, et capite tertio idem docet ex Turrecremata. Et favet exemplum Liberii, qui quando favit hæreticis, in ejus locum Felix suffectus est, quod non nisi abrogato eo fieri potuit juxta doctrinam communem. Hoc tamen intelligendum est, videlicet si papa sit fautor

hæreticorum in his, quæ ad hæresim ordinantur : nam si faveret hæretico non in causa hæresis, sed propter aliquam particularem causam, verbi gratia, jure cognationis, amicitiæ, non videtur posse deponi, cum formaliter non sit fautor hæreticorum, licet homini alias hæretico faveat in causa temporali, et politico. Fautores enim hæreticorum ejusdem criminis censentur cum hæreticis in jure, ut colligitur ex capite Excomm. §. Credentes de hæreticis, et capite Quicumque eodem titulo in sexto, et ibi communiter doctores. Non autem intelligitur fautor nisi qui aliquem favet in quantum hæreticum, id est, secundum aliquam relationem, et ordinem ad hæresim ut bene notavit Cajetanus in summa verbo excommunicatio, capite primo, quem sequitur Navarrus in manuali, cap. XXVII, numero LV, et sequitur Azorius tomo I, lib. VIII, capite decimo quinto ; Suarez tomo de fide, disputatione prima. Quare si papa faveret alicui principi hæretico non in ordine ad hæresim neque in quantum hæreticus, sed ratione cognationis, propinquitatis, vel amicitiæ, non esset deponendus, quia in re non est hæreticus, neque hæreticorum fautor, nisi forte in foro judiciali probaretur ex hoc formaliter suspectus in hæresi, aut hæreticus esse, et incorrigibilitas ejus constaret in favendo hæreticis. In casu autem juramenti papæ de renuntiando respondetur Ecclesiam non posse cogere ipsum, ut juramentum adimpleat, quia potest ipse pontifex sibi juramentum relaxare ex causa rationabili : non pertinet autem ad Ecclesiam judicare an causa rationalis sit ad talem relaxationem, et sufficiens, cum non sit superior papa ; unde simpliciter non potest eum cogere ad servandum juramentum.

DE DEPOSITIONE PAPÆ.

1/V/97

XVII. Restat secunda difficultas tractanda, scilicet a qua potestate debeat fieri hæc papæ depositio. Et tota quæstio versatur circa duo, scilicet circa declarativam sententiam, qua declaratur crimen papæ a quo debeat fieri, an a cardinalibus ; vel a Concilio generali : et si a Concilio generali per cujus auctoritatem debet congregari, et cujus virtute cognoscere de tali causa. Et secundo, circa ipsam depositionem, quæ facienda est post declarativam criminis sententiam, an fiat per potestatem Ecclesiæ ; an vero ab ipso Christo Domino immediate supposita declaratione. Et quoad primum dicendum est tractationem hanc de depositione papæ quoad declarationem criminis nullo modo pertinere ad cardinales, sed ad Concilium generale. Quod patet primo ex usu quidem Ecclesiæ : nam in casu Marcellini de thurificatione idolorum congregata est Synodus ad illam causam discutiendam, ut habetur in capite Hunc autem, distinctione XXI. Et in casu schismatis in quo erant tres pontifices reputati in suis obedientiis congregata est Synodus Constantiensis ad illud schisma sedandum, in causa etiam Symmachi papæ congregatum est Concilium Romæ ad ea tractanda, quæ illi objiciebantur, ut tradit Antonius Augustinus in epitome juris de pontifice maximo, titulo decimo tertio, et in juribus supra citatis habetur, pontifices, qui de aliquibus criminibus sibi objectis satisfacere voluerunt, coram Concilio id fecisse. Secundo, etiam constat hanc potestatem tractandi causas pontificum, et ea quæ ad depositionem ejus spectant non esse commissam cardinalibus ; remanet ergo in depositione Ecclesiæ,

cujus auctoritatem repræsentat Concilium generale; cardinalibus enim tantum est commissa electio, et non amplius, ut constare potest legenti ea, quæ ex jure adduximus articulo primo. Videantur de hac re Turrecremata lib. II summæ, cap. XCIII; Cajetanus supra citatus; doctores canonistæ in capite In fidei de hæreticis in sexto, et in capite Si papa, distinctione quadragesima.

XVIII. Sed nunc restat explicare cujus auctoritate convocandum est hoc Concilium, non enim auctoritate papæ congregari potest, cum contra ipsum congregetur; non potest autem esse legitimum Concilium nisi auctoritate papæ congregetur, unde pontifex posset illud recusare, et annullare, si contra ipsius voluntatem congregaretur, si quidem ante declarationem criminis est verus papa; ergo subest ejus potestati quodcumque Concilium congregetur, et consequenter si velit, potest illud dissolvere.

XIX. Respondetur, quod illud Concilium congregari potest auctoritate Ecclesiæ, quæ est in ipsis episcopis, vel majore eorum parte; habet enim jus Ecclesia ad segregandum se a papa hæretico ex jure divino, et consequenter ad adhibendum omnia media ad talem segregationem per se necessaria; medium autem necessarium, et per se est ut juridice constet tale crimen; non potest autem juridice constare nisi formetur competens judicium, non potest autem in re tam gravi competens esse judicium, nisi per Concilium generale, quia tractatur de universali capite Ecclesiæ, unde pertinet hoc ad judicium universalis Ecclesiæ, quod est Concilium generale. Et ita non assentior patri Suarez existimanti posse hoc tractari in Conciliis provincialibus, nec enim Concilium provinciale repræsentat universalem Ecclesiam, ut ejus auctoritate possit negotium hoc decidi; nec plura etiam Concilia provincilia talem repræsentationem habent, aut auctoritatem. Quod si non de ipsa auctoritate loquamur in cujus virtute judicandum est, sed de convocatione Concilii, a quo sit facienda, existimo id non esse alicui determinate commissum, sed posse hoc fieri vel a cardinalibus, qui hanc notitiam ad episcopos derivare possunt, vel a propinquioribus episcopis id posse denuntiari aliis, ut omnes conveniant; vel etiam ad instantiam principum id fieri posse, non quidem quantum ad convocationem coactivam, sicut quando pontifex convocat ad Concilium, sed convocatione denuntiativa, qui tale crimen episcopis denuntiatur, et manifestatur ut illi succurrant. Quare pontifex non potest tale Concilium annullare, aut recusare, quia ipse est pars, et Ecclesia habet ex jure divino posse illud congregare ad hunc finem, quia habet jus ut segreget se ab hæretico.

XX. Quoad secundum vero, scilicet cujus auctoritate declaratio, et depositio facienda est, et dissentio inter theologos, nec enim apparet a quo sit facienda ista depositio, cum sit actus judicii, et jurisdictionis, quæ in papam a nullo exerceri potest. Cajetanus in opusculo de potestate papæ, capite XX, refert duos modos dicendi extreme oppositos; duos etiam medios. Inter extreme oppositos unus est quod papa ipso facto quo est hæreticus, et depositus absque humano judice: alter est quod simpliciter papa habet superiorem potestatem a qua possit judicari. Inter modos mediate se habentes alter dicit, quod papa non absolute habet superiorem, sed solum pro casu hæresis; alter quod nec absolute, nec pro casu hæresis habet superiorem potestatem in terris, sed solum ministerialem, sicut

Ecclesia habet ministerialem potestatem eligendi quoad designationem personæ, non quoad collationem potestatis, quia hæc fit immediate a Christo, ut diximus articulo primo. Sic etiam in depositione, seu destructione hujus conjunctionis, qua pontificatus est conjunctus isti personæ in particulari Ecclesia habet ministerialem potestatem deponendo ipsum ministerialiter; Christus autem auctoritative ipsum privare. Et ex his duobus modis dicendi primum sequitur Azorius II, tom. II, cap. VII, scilicet Ecclesiam esse pontifice superiorem in casu hæresis. Alterum vero modum dicendi sequitur Cajetanus et late illum explicat. Ejus tamen sententiam refert, et impugnat Bellarminus libro II de Romano pontifice, cap. XX, præsertim in duobus, scilicet quod Cajetanus dixerit papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, et quod papa ab Ecclesia deponitur vere, et ex auctoritate Suarez quoque disputatione sæpe citata, sect. VI, num. VII Cajetanum impugnat, quod dixerit Ecclesiam in casu hæresis supra papam tamquam privatam personam, non in quantum papa est. Quod tamen Cajetanus non dixit, sed quod Ecclesia non est supra papam absolute etiam in casu hæresis, sed quod est supra conjunctionem pontificatus cum ista persona dissolvendo illam, eo modo quo illam per electionem conjunxit, quæ potestas Ecclesiæ ministerialis est, nam simpliciter superior solum est Christus Dominus respectu papæ. Et ideo Bellarminus, et Suarez censent papam hoc ipso quod est hæreticus manifestus, et pro incorrigibili declaratur, a Christo Domino immediate deponi, non ab aliqua auctoritate Ecclesiæ.

XXI. Igitur Cajetani sententia tribus dictis continetur. Primum est, papa hæreticus per ipsum factum hæresis præcise non privatur pontificatu, nec deponitur: secundum est, Ecclesia nullam potestatem, nec superioritatem, etiam in casu hæresis habet supra papam ex parte potestatis papæ, quasi sit potestas supra potestatem etiam in tali casu, sed nullo pacto potestas Ecclesiæ est supra potestatem papæ, et consequenter neque supra papam absolute: tertium dictum est, potestas Ecclesiæ habet pro objecto applicationem potestatis papæ ad personam, designando illam per electionem, et separationem hujus potestatis a persona, declarando illum pro hæretico, et evitando a fidelibus. Itaque licet declaratio criminis sit quasi dispositio antecedens, et ministerialiter se habens ad depositionem ipsam, tamen dispositive, et ministerialiter attingit etiam formam, quatenus tendendo in dispositionem tendit mediate in formam; sicut in generatione, aut corruptione hominis, neque generans producit, aut educit formam, neque corrumpens destruit, sed solum conjunctionem aut separationem formæ, attingendo immediate dispositiones materiæ ad ipsam, et mediantibus illis formam.

XXII. Primum dictum Cajetani ex supra dictis est manifestum, nec legitime impugnatur a Bellarmino. Et ejus veritas constat; tum, quia papa quantumcumque sit vere, et publice hæreticus, si tamen corrigi sit paratus non potest deponi (ut supra diximus) nec Ecclesia secundum jus divinum potest illum deponere, quia nec potest, aut debet ipsum evitare, cum Apostolus dicat: *Hæreticum hominem post primam, et secundam correptionem devita*; ergo ante primam, et secundam correptionem non est devitandus ab Ecclesia et consequenter nec deponendus: ergo falso dicitur quod ipso facto quod pontifex est publicus

hæreticus est depositus : potest enim esse publicus, sed nondum ab Ecclesia correptus, nec declaratus ut incorrigibilis ; tum etiam, quia (ut bene advertit Azorius ubi supra) nullus episcopus quantumcumque hæreticus exterior licet ipso facto incurrat excommunicationem, non tamen ipso facto amittit jurisdictionem, et potestatem episcopalem, quousque ab Ecclesia declaretur, et deponatur; soli enim excommunicati non tolerati ipso facto jurisdictionem amittunt, scilicet qui nominatim excommunicantur, vel sunt manifesti percussores clerici ; ergo si episcopus, nec aliquis alius prælatus ex sola hæresi exteriori non amittit ipso facto potestatem, cur amittet papa ante declarationem Ecclesiæ, præsertim cum papa excommunicationem incurrere non possit, quia ut suppono nulla excommunicatio datur lata ipso jure divino ; ex jure autem humano excommunicari non potest, cum sit superior omni humano jure.

XXIII. Secundum vero dictum Cajetani probatur, quia potestas papæ absolute est potestas derivata a Christo Domino, et non ab Ecclesia, et illi potestati subjecit Christus totam Ecclesiam, id est, omnes fideles sine ulla restrictione, ut de fide certum est, et supra late probatum ; ergo in nullo casu potest Ecclesia habere superiorem potestatem ad istam, nisi pro illo casu reddatur illa potestas dependens ab Ecclesia, et inferior ad illam, et hoc ipso quod redditur inferior pro illo casu jam potestas illa mutata est, et non manet eadem quæ ante, si quidem ante erat super ad totam Ecclesiam et independens ab illa ; pro illo autem casu redditur dependens et inferior; ergo nunquam verificatur quod Ecclesia habet potestatem supra potestatem papæ formaliter, quia ut habeat potestatem supra illam pro aliquo casu, debet illa potestas esse formaliter alia, et non ita ampla, et suprema sicut ante. Neque ex aliqua auctoritate constat Christum Dominum dedisse hoc modo potestatem Ecclesiæ supra potestatem papæ, ea enim quæ in casu hæresis loquuntur, non indicant superioritatem supra potestatem papæ formaliter, sed solum evitationem, separationem, negationem communicationis, etc. quæ salvari possunt sine potestate superiori formaliter supra potestatem papæ. Nec est fundamentum, ut dicamus Christum Dominum, qui sine ulla restrictione dedit supremam, et independentem potestatem Petro, ejusque sedi, determinasse, ut pro casu hæresis esset dependens et inferior ad potestatem Ecclesiæ formaliter in ratione potestatis, ita quod maneret subordinata potestas respectu Ecclesiæ, et non superior sicut ante. Quoad id vero quod dicit dictum secundum Cajetani, videlicet Ecclesiam non habere potestatem superiorem papa, si absolute accipiatur, in superioribus late probatum est cum Ecclesia debeat esse subjecta papæ, nec ejus potestas ab Ecclesia originetur, sicut potestas politica, sed immediate a Christo cujus gerit vices. Quod vero neque in casu hæresis sit superior papa ex parte potestatis papæ patet ; tum, quia ipsa potestas papæ in nullo casu est derivata, et originata ab Ecclesia, sed a Christo ; ergo in nullo casu est potestas Ecclesiæ superior; tum, quia potestas papæ ut originata a Christo instituta est tamquam suprema super omnem potestatem Ecclesiæ, quæ in terris est (ut supra probatum est ex pluribus auctoritatibus) nullus autem casus exceptus est a Christo Domino, in quo ista potestas limitetur, et subjiciatur alteri, sed semper, et respectu omnium loquitur de illa tamquam de suprema, et monarchia.

Quando autem loquitur in casu hæresis non superioritatem attribuit respectu papæ, sed solum præcipit evitari, separari, et non communicare hæretico, quæ omnia superioritatem non indicant, et sine illa salvari possunt; ergo potestas Ecclesiæ non est superior respectu potestatis papæ etiam in casu hæresis. Et hoc etiam convincunt jura, quæ dicunt primam sedem a nemine judicari, quod etiam in casu infidelitatis procedit, nam patres congregati in casu Marcellini papæ dixerunt: Tu teipsum judica.

XXIV. Tertium dictum sequitur ex præcedentibus. Nam Ecclesia potest declarare crimen pontificis, et ipsum ut evitandum proponere fidelibus secundum jus divinum, quo hæreticus evitandus est. Pontifex autem evitandus ex vi talis dispositionis necessario redditur impotens, ut sit caput Ecclesiæ, quia est membrum evitandum ab illa, et consequenter non potest in illam influere; ergo ex vi talis potestatis Ecclesia dissolvit conjunctionem pontificatus cum ista persona ministerialiter et dispositive. Patet consequentia, quia agens quod potest inducere dispositionem in subjecto, cui necessario annexa est separatio formæ et cum qua forma stare non potest in subjecto, potest supra dissolutionem formæ, et mediate tangit ipsam formam, ut separandam a subjecto, non ut in se destruendam, sicut patet in agente corrumpente hominem, nec enim formam destruit, sed dissolutionem formæ inducit, ponendo dispositionem in materia, cum qua forma non potest stare. Sic ergo cum Ecclesia potest ut evitandum pontificem declarare, potest inducere dispositionem in illa persona, cum qua pontificatus stare non potest, et sic dissolvitur ministerialiter, et dispositive ab Ecclesia, auctoritative autem a Christo, sicut designando ipsum per electionem disponit ipsum ultimate, ut recipiat collationem potestatis a Christo Domino: et sic ministerialiter creat papam. Et si quando dicit Cajetanus Ecclesiam posse auctoritative in conjunctionem, vel separationem pontificatus a persona, ministerialiter vero in ipsum pontificatum intelligendus est hoc modo, quod Ecclesia habet auctoritatem declarandi crimen papæ, sicut et designandi ipsum in papam, et quod auctoritativum est respectu declarationis est dispositivum, et ministeriale respectu formæ, ut conjungendæ vel separandæ, nam in ipsam formam absolute, et in se nihil potest Ecclesia, cum non sit ei subordinata potestas. Et ex his concordantur jura, quæ aliquando dicunt pontificis depositionem pertinere ad solum Deum, aliquando in causa hæresis posse judicari ab inferioribus, utrumque enim verum est, et quod ejectio, seu depositio pontificis soli Deo reservatur auctoritative, et principaliter ut dicitur expresse in capite Ejectionem, septuagesima nona; distinctione, et in aliis multis juribus supra citatis, quæ dicunt judicium sedis apostolicæ sibi Deum reservasse: ministerialiter autem, et dispositive declarando crimen, et proponendo papam, ut evitandum Ecclesia judicat de pontifice, ut dicitur in capite Si papa, XL distinctione, et capite Oves II, quæst. VII.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Argumenta Bellarmini, et Suarez contra prædictam sententiam facilis solutionis sunt. Objicit enim Bellarminus, quod Apostolus dicit hæreticum hominem post duas correptiones esse evitandum, id est, postquam manifeste apparet pertinax ante omnem excommuni-

cationem, et judicis sententiam, ut ibi scribit Hieronymus, quia hæretici per se discedunt a corpore Christi. Et ratio est, quia non Christianus non potest esse papa, nec enim est caput, qui non est membrum; hæreticus autem Christianus non est, ut docent communiter patres; ergo manifestus hæreticus papa esse non potest. Nec obstat, quod in ipso adhuc manet character, nam si ratione characteris maneret papa, cum hic sit indebilis nunquam deponi poterit. Unde patres communiter docent hæreticum ratione hæresis, et independenter ab excommunicatione carere omni jurisdictione, et potestate ut Cyprianus, Hieronymus et Ambrosius.

XXVI. Respondetur hæreticum esse evitandum propter duas correptiones juridice scilicet factas, et ab Ecclesiæ auctoritate, et non secundum privatum judicium; sequeretur enim magna confusio in Ecclesia si sufficeret hanc correptionem esse factam ab homine privato, et quod facta manifestatione hæresis non tamen declarata ab Ecclesia, et proposita omnibus ut evitent pontificem teneri omnes illum evitare, nec enim omnibus fidelibus potest esse publica hæresis papæ, nisi ex relatione aliorum: relatio autem ista cum non sit juridica non obligat, ut ei omnes credant et illum evitent: requiritur ergo quod sicut Ecclesia designando ipsum omnibus juridice ipsum ut electum proponit, sic declarando et proponendo eum ut hæreticum evitandum eum deponat. Unde sic videmus practicatum in Ecclesia, quod in casu depositionis papæ causa ipsa in generali Concilio prius tractata est quam pro non papa habitus, sicut supra retulimus. Non ergo papa ipso facto quo hæreticus est, etiam publice desinit esse papa ante omnem Ecclesiæ sententiam, et antequam ipsum, ut evitandum fidelibus proponat. Nec Hieronymus quando dicit hæreticum per se discedere a corpore Christi, excludit ipsum Ecclesiæ judicium præsertim in re tam gravi, qualis est depositio papæ, sed criminis judicat qualitatem, quod per se sine alia censura superaddita excludit ab Ecclesia, dummodo tamen per Ecclesiam declaretur; licet enim ex se separet ab Ecclesia, tamen quoad nos non intelligitur facta separatio sine ista declaratione. Et similiter ad rationem respondetur, quod non Christianus, qui quoad se, et quoad nos Christianus non est, non potest esse papa, si tamen quoad se Christianus non sit, quia fidem amisit; quoad nos autem adhuc non fit juridice declaratus, ut infidelis, vel hæreticus, quantumcumque manifestus sit secundum privatum judicium, adhuc quoad nos est membrum Ecclesiæ, et consequenter caput. Requiritur ergo judicium Ecclesiæ, quo proponatur, ut non Christianus, et evitandus, et tunc desinit quoad nos esse papa, et consequenter antea non desierat etiam in se, quia omnia quæ faciebat erant valida in se.

XXVII. Secundo objicitur: Quia non potest Ecclesia habere potestatem in conjunctionem pontificatus cum persona, nisi in ipsum pontificatum habeat potestatem, nec enim amplius facit papa cum deponit episcopum, quam destruere conjunctionem ejus cum episcopatu, nam episcopatum ipsum non destruit, ergo si potest Ecclesia in conjunctionem pontificatus cum personam, consequenter potest, seu potestatem habet supra pontificatum et personam papæ. Et confirmatur, quia papa deponitur invitus; ergo punitur in tali depositione, punire autem est superioris et judicis; ergo Ecclesia deponens, seu depositionis pœna puniens, supra personam

papæ superioritatem habet. Denique, qui potest in partes simul, seu in conjunctionem earum potest simpliciter in totum : sicut generans hominem, simpliciter potest in ipsum totum hominem ; ergo si Ecclesia potest in conjunctionem pontificatus cum persona, simpliciter potest in papam, quod negat Cajetanus.

XXVIII. Respondetur, quod aliter potest pontifex in episcopum quando ipsum deponit, aliter Ecclesia in pontificem : nam pontifex privat ipsum tamquam sibi subjectum, et habentem potestatem sibi subordinatam et dependentem, quam limitare, et coarctare potest, unde licet tollat episcopatum a persona, et non destruat episcopatum, tamen hoc tollit ex superioritate quam habet ad personam, etiam ex parte potestatis sibi subordinatæ, ratione cujus illam amovet a persona, et non solum personam ab ipsa. Ecclesia vero tollit pontificatum ex superioritate ad potestatem ipsam, sed ex ministeriali, et dispositiva potestate qua potest inducere dispositionem incompossibilem cum pontificatu, ut dictum est.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, papam disponi invitum ministerialiter, et dispositive ab Ecclesia, auctoritative a Christo Domino, unde ab ipso, non ab Ecclesia punitur proprie loquendo. Ad ultimum dicitur, quod qui potest in conjunctionem partium, potest in totum simpliciter, non tamen si ministerialiter solum, et dispositive possit in talem conjunctionem, nisi in naturalibus, in quibus physicæ dispositiones habent naturalem connexionem cum ipso esse totius, quod cum communicetur ab agente producente dispositiones conjunctivas partium, simpliciter producit ipsum totum : in moralibus autem dispositio, quæ fit ab aliquo, cum solum habeat moralem conjunctionem cum forma, et quasi ex institutione voluntaria, qui disponit non censetur facere ipsum totum simpliciter, et auctoritative, sed quasi ministerialiter : sicut si pontifex alicui concedat, ut loca quæ designaverit habeant privilegia lucrandi indulgentias, et quæ declaraverit non habere, non habeant, designatio, vel declaratio ista non habet tollere, aut concedere indulgentias auctoritative et principaliter, sed ministerialiter solum.

DISPUTATIO III.

DE POTESTATE PAPÆ IN ECCLESIA QUANTUM AD EA IN QUIBUS ERRARE NON POTEST.

Quinque sunt in quibus pontifex non potest errare. Primo, approbatione, et emendatione librorum canonicorum Scripturæ, et traditionum apostolicarum : secundo, in confirmatione Conciliorum, et definitione rerum fidei : tertio, in canonizatione sanctorum : quarto, in legibus regulativis morum : quinto, in confirmandis religionibus ; et de his omnibus per ordinem tractandum est in præsenti disputatione.

ARTICULUS I.

Utrum in approbatione, et emendatione Scripturæ canonice papa errare possit ?

I. Supponimus duo principia, de quibus aliquid breviter egimus disputatione prima, articulo secundo. Primum est, dari veram et infalli-

bilem Scripturam, quæ sit divinitus inspirata, de qua Apostolus II ad Timotheum III : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, et ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, etc.* et II Petri I : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco :* item : *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non sit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines :* et capite tertio ; *Memores,* inquit, *sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis prophetis, et Apostolorum vestrorum.* Et infra mentionem facit epistolarum Pauli tamquam de Scriptura canonica. Et ipse Dominus post resurrectionem suam omnem complectens veteris testamenti Scripturam, quam Ecclesiæ suæ relinquebat Lucæ vigesimo secundo : *Necesse est,* inquit, *impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me : tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, etc.* Quare dandam esse aliquam Scripturam sacram divinitus inspiratam tamquam primum principium supponendum est inter eos qui fideles sunt, et in Christum credunt, hoc enim insinuant illa verba Petri : *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia, etc.* Est ergo hoc primum quod tenemur intelligere, et tamquam principium supponere : apud eos vero qui Scripturæ non credunt aliis argumentis procedendum est, quæ breviter insinuavimus loco superius adducto, articulo secundo, in initio.

II. Secundum principium est, quod etiam de fide est Scripturam sacram non solum in sensuum varietate, et interpretationibus diversis posse difficultates pati, sed etiam depravari in se juxta quod dicitur II Petri III de epistolis Pauli : *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem :* quod et satis manifestat multitudo illa librorum apocryphorum, qui pro Scripturis revelatis palliabantur, et damnati sunt a Gelasio pontifice in capite Sancta Romana, distinctione decima quinta, ubi plura numerantur evangelia apocrypha, ut, evangelium Thaddæi, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, etc. Plura etiam ex sanctis Scripturis sunt quæ penitus interierunt ; multi enim libri citantur in veteri testamento, qui modo non sunt, ut est liber justorum, Josue decimo. Et I Paralipom. XXIX, citatur liber Nathan prophetæ, et volumen Gad videntis : et III Regum IV Salomonem dicitur scripsisse tria millia parabolatum, et quinque millia carminum, et quod disputavit de lignis, et reptilibus, et jumentis, etc. Paulus ad Colossenses IV, in fine mentionem facit epistolæ ad Laodicenses, et jubet ut in Ecclesia legatur, quæ tamen hodie non extat. Itaque Scripturæ et depravationi, et perditioni sunt obnoxiæ, et aliorum apocryphorum admixtioni, nisi ab aliqua infallibili auctoritate discernatur quinam sint legitimi libri et qui non, qui depravati et qui sinceri, alias enim tota fides fluctuaret, si libri illi in quibus continentur ea quæ revelata sunt a Deo diversis depravationibus, et corruptionibus patere possent, nec de hoc posset aliquis judicare, et discernere.

III. Ex his duobus principiis deducitur per consequentiam, ad duo capita reduci ea quæ Ecclesia vel pontifex circa Scripturam canonicam potest, scilicet quantum ad ipsos libros in se, et quantum ad sensum, et intelligentiam eorum,